



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

33. An Canonicus surdus, vel Religiosus surdaster assistens Choro,, & cum aliis Divinum Officium recitans satisfaciat suæ obligationi, etiamsi partem, quam non percipit, non repetat? Et supponitur, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

non expedit: ergo in nocte adest tempus sufficiens
divinum Officium recitandi. Neque mihi dicas, Con-
fessio concedi debet aliqua temporis mora ad re-
creandum animi vires; nam nulla obligatio illum
constringit ad continuandum tota die in hoc Mini-
strio; & si habet horas reficiendi corpus opportu-
nas; quare & illas invenire non debet ad recrean-
dam animam recitatione divini Officij; Ita sentire
videntur, qui dicunt, Confessarium summo mane
ingerere debere ad recitandum Horas Canonicas,
quando praevidet tota sequenti die in confessionibus
mensuris se detinendum esse. Ita Bordonus. Sed
rectius, quomodo antea fuerit tam liberalis erga
Concionatores. Sed si forsitan aliqui superius dicta
agruulerunt; gaudent de his, quae breuiter sum-
mo Dico igitur, Concionatores excusari à ieiunio
in Quadragesima, etiam si tantum more Hispanico
ter in septimana concionentur: imo puto, excusari
à ieiunio praecedentis diei, si intra annum praedi-
cant. Ita Martinus de San Iuan in *monitis Confessio-
num* tom. 1. lib. 2. de *ieiunio*, tract. 12. n. 14. & Trul-
lenchi in *Dualog*, tom. 1. lib. 3. cap. 3. dub. 7. num. 15.
Quod etiam procedit, si concionarentur propter sti-
pendium.

RESOL. XXX.

*Vnus Monachus fugiuntur teneatur recitare Offi-
cium Diuinum.
Eadem sententia est etiam quoad Monachum cie-
lum à Monasterio ad tempus, vel in perpetuum.
Ex p. 2. tr. 12. Ref. 18.*

Communiter affirmatiue respondent. Ita
Malderus, Suarez, Filiucius & alij apud
Bonac. ubi infra; quibus adde Layman in *Theol.*
tom. 1. lib. 4. tract. 1. cap. 4. num. 2. Villalobos in *sum.*
tom. 1. tract. 24. dub. 9.

2. Sed contrariam sententiam docet Martinus
Bonacina tract. de *Horis Canon.* diffut. 1. q. 2. punct. 2.
num. 6. hanc sententiam extendit etiam quoad Mo-
nachum eieclum à Monasterio ad tempus, vel in
perpetuum. Et ratio est secundum illum, quia Mo-
nachus in his casibus constituitur in statu, in quo
non est consuetudo recitandi diuinum Officium, &
quomodo redire possit ad Monasterium, tamen de-
mit esse Monachus, vel saltem non est in statu, in
quo ex consuetudine obligetur ad Horas Canonicas;
licet in praxi contrariam sententiam putet esse con-
sultendam.

3. Nec valet dicere, quod si esset vera talis sen-
tentia, Monachus reportaret commodum ex suo de-
licto, nam tale commodum Monachus reportaret
non per se, & directe, sed per accidens: quia est
in statu, vbi consuetudo non obligat ad preces.
Ergo, &c.

RESOL. XXXI.

*Vnus Clericus, vel Religiosus damnatus ad tritremes,
teneatur dicere Horas Canonicas?
Et an hoc etiam intelligendum sit de Clericis suspen-
sis, interdictis, & excommunicatis? Ex p. 2. tr. 12.
Refol. 40.*

Prima opinio affirmatiua est. Ita Laym.
in *Theolog.* mor. lib. 4. tractat. 1. cap. 4.
num. 2. Gavant. in *comment. ad Rub. Miss.* tom. 2.
lib. 1. cap. 4. num. 16. Ioan. Azorius var. 1. lib. 10.
Tom. III.

capit. 5. *question. 9.* quam opinionem Rodriguez
ubi infra, tribuit Syluestro *verb. hora, questio. 9.*
sed immerito, nam ibi nihil dicit. Probat hanc sen-
tentiam Azotius à simili. Nam, vt bene vt notat Na-
uarr. capit. 7. numer. 17. Syluest. *versic. hora, que-
stion. 3.* & alij communiter Clerici suspensi, inter-
dicti, & excommunicati teneatur persolvere Offi-
cium diuinum. Ergo, ait Azotius, idem ius erit in
eo, qui per sententiam iudicis fuerit ad tritremes dam-
natus, aut à Turcis captus, in tritremes coniectus, &
remigandi ministerio adductus.

2. Secunda opinio est Emmanuëlis Rodrig. in
sum. tom. 3. capit. 194. conclus. 15. numer. 15. vbi
asserit. *El ordenado de orden sacro hechado à gale-
ras, segun Syluestro* *verf. hora, questio. 9. ubi-
gacion tiene de rezar el Oficio diuino, lo qual entien-
do, que sera verdad, quando conuadamentee puda re-
zar, porque si no pudiese comodamente rezar, la
Iglesia, que es su madre, no lo quierera asfugir en tan
miserable estado.*

3. Sed mihi placet tertia opinio negatiua, quam
docet Homob. de *exam. Eccles.* part. 1. tractat. 4.
capit. 4. *questio. 32.* Sotus de *inst. lib. 10. questio. 5.
articul. 3.* Sanchez de *matrimon.* lib. 8. *diffutat. 8.
num. 11.* & Leonardus Lessius de *inst.* lib. 2. cap. 37.
dub. 9. numer. 45. Nam, vt ait ille, vsus est in con-
trarium, tum quia satis habent afflictionis, dum vi
in illo supplicio detinentur: tum quia animus raro
talibus ad obsequendum est paratus: & etiam quia
id cederet in dedecus ordinis Ecclesiastici, si in illa
hominum colluue ostenderent suum statum, quae
quidem omnia non militant in Clericis suspen-
sis, interdictis & excommunicatis. Vnde pater res-
ponso ad argumentum Azotij; est enim dispar ratio,
inter Clericos damnatos ad tritremes, & sus-
pensos & excommunicatos. Dicendum est igitur,
dictos remigantes absolute non teneri ad recitandum
Officium diuinum.

RESOL. XXXII.

*An surdus teneatur recitare Horas Canonicas?
Et si simul fuerit captus oculis, & auribus, an tunc
neque cum socio, neque secum solus quidquam di-
cere teneatur, nisi quod memoria nouit, si quidem
illud fuerit maior pars diuini Officij? Ex p. 5. tr. 6.
Ref. 15.*

Respondeo nulla ratione eximi à recitando,
cum per se legere possit. An verò surdus
se ipsum audiat legentem, necne, nihil refert, cum
facile percipere possit quid dicat; & ad illud mentem
aduertere. Quod si legitime impediatur, quominus
per se solus recitet, tunc quoque immunis erit à re-
citatione cum socio, quia illum audire vel omnino
non potest, vel certe non nisi voce stentorea claman-
tem, ad quem modum, nec socius, nec ipse compen-
dendus est, quod si simul fuerit captus oculis & auri-
bus, tunc neque cum socio, neque secum solus quid-
quam dicere tenebitur, nisi quod memoria nouit, si
quidem illud fuerit maior pars diuini Officij, iuxta ea,
quae inferius dicentur & ita docet Oliuerius Bonar-
tius de *horis Canonicis* lib. 2. c. 38. n. 21. qui citat Suar.

Sup. hoc in
Ref. seq. 6. 16
& in tom. 7.
tr. 1. Ref. 7.
§. 9. per to-
tum.

Sup. hoc,
quod me-
moriam nouit
infra in Ref.
34. cursum à
lin. 7. sed le-
ge eam per
totam, &
alias eius
anno;

RESOL. XXXIII.

*An Canonicus surdus, vel Religiosus surdaster
assistens choro, & cum aliis Diuinum Officium
recitans satisfariat suae obligationi, etiam si
O o 3*

DANIEL
BIBLIA
S. III. IV. V
E. III

partem, quam non percipit, non repetat?
 Et supponitur, quod surdus, qui potest legere, teneatur recitare, siue se audiat, siue non.
 Et inferitur surdum non posse dicere Horas Canonicas cum socio, si illum non intelligit.
 Et notatur surdum non assistentem Choro gaudere distributionibus quotidianis.
 Et an caeci deobligentur à recitatione Diuini Officij?
 Et quid, si memoria sciat Horas, aut cum socio possit recitare?
 Et an regularis caecus teneatur sub mortali assistere Choro, si possit alternatim dicere officium?
 Et an Beneficiarius caecus, qui sufficientes colligit fructus ex beneficio, teneatur conducere socium ad recitandum, si cum eo possit recitare, non vero solus?
 Et an caecus, qui non potest recitare maiorem partem Officij, teneatur recitare minorem, quam potest?
 Idem est dicendum de quolibet alio habente impedimentum. Ex p.9. tr.9. & Misc.4. Ref.48.

Sup. hoc quod hic supponitur in Ref. praeterita & in alio §. eius primæ not.

Sup. his distributionibus infra cursum in fine §.2. Ref. 59. & pro doctrina contenta in hoc & seq. lege dictam Ref. per totam, & si liber etiam resolutiones eius annotationum, & signanter primæ postea contra titulum.

§. 1. **S**uppono cum Rocafull. in *Praxi Theol. moral. part. 2. lib. 3. cap. 4. dub. 4. num. 316.* & Trullench in *Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 28. n. 9.* surdum, qui potest legere, teneri recitare, siue se audiat, siue non: satis enim est, quod mente attendat, & cognoscat, quid dicat.
 2. Hoc supposito, ad questionem propositam negatiue respondet Pater Bordonus in *Consil. Regular. tom. 2. resol. 77. num. 39.* vbi docet, quod surdus assistens Choro, lucratur quidem distributiones, non tamen satisfacit obligationi recitandi Diuini Officij, Ratio illius est, quia ad lucrandum distributiones, sufficit assistentia, & partialis recitatio Diuini Officij. Ratio huius est; quia non minus est de essentia Officij auditio, quam recitatio, cum ambæ sint partes essentielles Officij in choro recitati, & ambæ partes fundentur in attentione recitationis, & auditionis. Sed defectu recitationis, diuinum Officium non subsistit, vt clarum est: ergo neque defectu auditionis. Quare domi suæ recitet Officium, si vult satisfacere. Rationes quas adducit, resoluunt dicendo, quod surdus non facit suam eam partem, quam non audit, quia cum ea Communicare non potest, nam communicatio fit per auditum, aliter sequeretur, quod surdus suam faceret concionem, quia cum aliis assistit prædicationi, vt compars, & membrum totius Auditorij: præterea tollitur ratio innixa illi Regula, nam auditio partis non est conditio, sed pars essentialis necessaria ad satisfaciendum. Deinde licet Officium, in choro recitatum, sit oratio communis totius chori, & consequenter singulorum, non tamen per hoc facit suam partem, quam non audit, quia singuli faciunt suam solum eam partem, quam posuerunt, cum id totum dependeat à singulari actione cuiuslibet: cum ergo in communitate surdus non contulerit alteram partem, defectu auditionis, sed solum recitationem, ided hanc solum ex communitate participat, & sic quod ad auditionem, non dicitur habere partem in communitate, sicut neque ille, qui licet recitet, non tamen attendit, dicitur facere suum Officium, seu satisfacere suæ obligationi defectu intentionis, quæ & ipsa est de essentia orationis. De obligatione sacrificij est dispar ratio; nam sicut sola assistentia, cum deuotione, & attentione satisfacit Missæ, ita & eiusdem obligationi per assistentiam, neque enim obligatio circumstantium fit per recitationem verborum, quibus Sacerdos offert, sed sufficit mentalis oblatio virtualiter contenta in assistentia formali ad Missam; in recitatione vero Diuini Officij requiritur recita-

tio ex vna parte, & auditio ex altera, & sic ad eam conformitas in verbis recitatis, & auditis, quæ vni conformitas in oblatione necessaria non est. Hæc omnia Bordonus, qui pro sua sententia citat Bonacinum, quibus ego addo Castrum Palaum, *tom. 2. tract. 7. dist. 3. punct. 4. num. 6.* Faustum de *Hor. Canon. lib. 3. quest. 19.* & Petricum, *cap. 4. dub. 9. num. 3.* Hæc sententia est probabilis.

3. Sed non minus probabilem affirmatiuam existimo, quam tueri sapientissimus Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 28. num. 18.* cui ego addo Elcoobar à Corro, de *Hor. Canon. quest. 4. num. 66.* vbi firmat surdum, dum canit in choro ex obligatione propria & munere, adimplere præceptum recitandi Horas Canonicas, etiam si non audiat alterum chorum recitantem. Et ided etiam asserit de quocumque Recitante in choro, si non audiat alteram partem, cum ei nulla possit culpa imputari, & fecerit ex se quantum potuit; quod accipio, tam quoad implementum obligationis recitandi, quam quoad lucrandum distributiones, etiam si partem, quam non percipit, non repetat. Et ita etiam docet nouissimè Rocafull. in *Praxi Theol. moral. part. 2. lib. 3. cap. 6. dub. 4. num. 56.* vbi sic ait: An si chorus silens non possit percipere chorum canentem, satisfaciat? Respondo satisfacere. Ita Sà, & Suarez loquens de surdo, qui alios canentes in choro non intelligit, nec hos sequi potest. Ratio est; quia hic verè dicitur assistere choro, & communicare suam partem aliis; neque per ipsum stat, quin versiculos à sociis recitatos audiat, & illam partem suam efficiat: conditio enim censetur adimpleri, quando non stat per eum, qui eam adimplere debet. Hæc ille.

4. Nec obstat dicere, quod ex dictis sequeretur, posse surdum dicere Horas Canonicas cum socio etiam si illum non intelligeret præcunte: quod negat Trullench, Rocafull. vbi supra, & alij. Respondet esse disparatem rationem in vtroque; nam in casu objectionis, recitatio surdi cum socio est voluntaria: at in nostro casu est necessaria, vt est, quæ fit in choro per Canonicos, & alios illi addictos. Ergo, &c.

5. Notentur hæc omnia, quia casus potest in Praxi accidere, non solum cum surdis, sed etiam cum surdistris.

6. Nota etiam hic obiter Pellizzarium in *Man. Sep. Reg. tom. 1. tract. 5. cap. 8. sect. 5. num. 143.* me citato docere probabiliter surdum non assistentem choro, gaudere distributionibus quotidianis.

7. An verò caeci deobligentur à recitatione Diuini officij? respondet Pellizzarius loco citato *num. 111.* quod quamvis Doctores communiter dicant, eos non deobligari, si memoriter sciant Horas, aut cum socio possint Psalmos alternatim recitare, aut etiam antea soliti essent recitare cum aliis, idque commodè etiam modo præstare possint: & hoc ex regula generali, quod qui tenetur ad aliquid, tenetur etiam ad media ordinaria, sine quibus illud impleri non potest; nihilominus absolute loquendo, non videtur improbabile, caecum obligatum ad Horas ex Professione, aut Ordine Sacro non teneri eas recitare, etiam memoriter sciat Psalmos; cum adhuc Lectiones legere non possit, & alioqui non teneatur admittere socium quantumuis se offerentem ad recitandum; cum facultas recitandi cum socio, sit priuilegium, & favor, quo quilibet potest liberè non vti: idque et si solitus fuisset eo vti; semper enim Priuilegiatus potest renunciare priuilegio, vt patet. Ita Pellizzarius; cuius opinio facit contra id quod docet Pasqualigus in *99. Can. Cenur. 1. quest. 53.* nempe Regularè caecum teneri sub mortali assistere choro, si potest alternatim dicere Officium; cum enim Regularis ex vi constitutionum, vt suppono, non tene-

...libi mortali, Choro assistere: & Regularis cecus, secundum Pellizzarium, probabiliter non tenetur dicere officium cum socio, etiam se vitro offerentem; non video quare tenetur assistere, vt cum aliis persoluat Horas Canonicas. Et ita contra Pasqualium in terminis docet etiam nouissimum Ioannes Henricus in 99. tract. sect. 3. 5. quæstio. 2. Religiosum cecum non teneri recitare Horas Canonicas. Sed de hoc ego alibi.

8. Nec deseram hic apponere verba Escobar de Hor. Canon. quæst. 6. num. 38. vbi sic ait: Verius censeo contra Bonacinam, Clericum habentem Beneficium, esse ego sufficientes colligit fructus, non teneri condicere socium ad recitandum, & si cum eo possit recitare, non verò solus, quia Præceptum ad orandum obligat per se, non ad adhibendum socium; & si non potest per se, vt supponimus, ad nihil tenetur. Nec facit teneri adhibere media necessaria ad implendum præceptum recitandi, quia hoc intelligitur de medijs ordinarijs, vt est emere Breuiarium, non de extraordinarijs, vt est conducere socium, ad quod simile præceptum non obligat. At ex eadem ratione censeo, non esse tenendam illam opinionem eiusdem Bonacinæ de cecis, eorum, qui per se recitare non possunt, teneri socium adhibere, vt paulatim Psalmos memorie manderet; nam censeo ad neutrum teneri, quia neutrum præcepto continetur, & nimis durum esset, & molestum ad id illam obligare; etsi enim probabile sit quod cecus Breuiario, licet memoriter Psalmos absque Lectionibus tenet, recitare non tenetur Psalmos, quia per se absque Lectionibus Officium non constituit, quod est in præcepto, non Psalmi, multo magis probabiliter erit, quod cecus non tenetur Psalmos memorie mandare, nec ad id conducere socium, cum etsi eos memoriter tenet, recitare non tenetur, quare ita melius tenent Soto, 10. de Inst. quæst. 5. art. 1. & Macignus de Hor. Canon. cap. 14. n. 9. Hucyque Escobar.

9. Sed si incidenter hic quæras, an cecus, qui non potest recitare maiorem partem Officij tenetur, recitare minorem, quam potest; Affirmatiue respondet Sanchez in opusculo tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 4. 6. num. 6. Layman lib. 4. tract. 1. cap. 6. dub. 1. & alij. Ratio est, quia, vt docet Caietanus 2. 2. quæst. 147. artic. 7. ad 3. & Nauarrus in Man. cap. 21. num. 27. Qui non potest implere totum præceptum Ecclesie, tenetur partem quam potest, vnde qui non potest ieiunare totam Quadragesimam, tenetur ieiunare partem, quam potest; & qui vult seruare castitatem, & matrimonium contractum, licet non possit totam seruare, quia tenetur recedere debitum, tamen tenetur seruare partem, quam potest; scilicet non petendo debitum, ita cecus qui non potest recitare totum Officium, tenetur recitare partem, quam potest, scilicet illam, quam memoria retinet, & si non potest solus, tenetur cum socio, quem habere commodè potest. Hanc sententiam docet Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. de Horis, 4. num. 24. quæ ad 28. & in num. 24. docet hanc quæstionem non solum locum habere in impedimento infirmitatis, sed etiam in alijs; vnde bene inserti, qui tota die sunt legitime occupati, vt nullam Horam diei dicere possunt, & ante mediam noctem potest saltem Completorium recitare, cur non obligatur; Et is qui Breuiarium non habet, tantum scit memoria Primam, & Completorium, cur non tenebitur illas Horas dicere, & tamen minorem partem Officij contineant, Et n. 27. dicit non esse veram generalem regulam pro omnibus casibus & impedimentis, videlicet vt qui non potest dicere tot Horas, vt contineant saltem maiorem partem totius Officij, nullam dicere tenentur. Eam sequitur Reginaldus lib. 18. cap. 13. num. 183. quæst. 4.

10. Sed his non obstantibus non desunt Doctores negatiue sententia adhaerentes, nempe quod, qui non potest maiorem partem Officij recitare, non tenetur ad minorem si potest; quia maior pars trahit ad se minorem. Et ita tenet Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 59. Filiucius tom. 2. tract. 2. cap. 9. quæst. 6. num. 294. & Azorius, tom. 1. lib. 10. c. 13. quæst. 5. qui loquitur in specie de ceco; vnde ego puto vt rumpere sententiam probabilem.

Sup. hoc in fra in Resol. 41. & in alij eius prius annor. & in Principio. præcedentis §. huius Ref.

RESOL. XXXIV.

An cecus sit ad scribendum Horas Canonicas recitare? Et quid, si memoria teneat maiorem partem Officij, an sit obligatus ad illam dicendam? Ex p. 5. tract. 6. Ref. 16.

§. 1. **S**otus, vt ego alibi citauimus, dubitat de hac obligatione, quia accidentarium est, quod memoria sciatur Horas, neque enim videtur iustum ob illam causam honestam onus hoc grave imponi, quod non imponeretur carenti illa. Ceterum nouissimè Castrus Palauis tom. 2. disp. 2. punct. 6. n. 11. putat sic tenentem memoria maiorem Officij partem obligatum esse ad illam dicendam, quia posita illius Officij memoria iam valet præceptum implere, & sine difficultate, ergo tenetur. Neque obstat accidentarium esse quod Officium memoria teneatur, quia posito illo accidenti iam necessarium est te esse obligatum, sicut tempore interdicti accidentarium est te Bullam habere, qua conceditur facultas audiendi Sacrum, &c. At illa facultate posita non est accidentarium, sed necessarium, quod præcepto audiendi Missam obligaris, sic in præsentibus; ergo, &c. Sed tu circa præsentem quæstionem ne deseras videre me ipsum in part. 4. tract. 4. resol. 11. vbi plures Doctores tractantes hanc quæstionem inuenies.

Alibi in Resol. & in Resol. præterita §. An verò cecus, & in tom. 7. tr. 1. Resol. 7. §. Quoad secundum & sequ. & præterita memoria maiorem partem Officij supra cæsum in fine Ref. 32. &c.

Quæ dunc hanc sequetur.

RESOL. XXXV.

An cecus, vel ita oculis caligans, vt legere nequeant, teneantur Horas persolvere, si illas memoriter sciunt? Et an saltem teneantur recitare aliquid loco illarum, vel adhibere socium in recitatione Horarum? Et quid si cecus nihil ex Horarijs precibus memoria teneat, vel saltem paruum? Et an si esset Beneficiarius cecus, & omittat Horas licet memoriter sciatur, non tenetur ad restitutionem fructuum? Ex parte 4. tractatu 4. & Miscel. Resol. 11.

Sup. hac præterita diffie. significanter in §. Puto igitur, Ref. 3. nec. leg.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue cum Nauarro & Azotio, quos citat, & sequitur Faustus de Horis Canonicis lib. 2. quæst. 229. quibus adde Villalobos in summ. tom. 1. tract. 24. diffie. 16. num. 4. Reginaldum tom. 2. lib. 18. cap. 13. num. 185. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 28. num. 14. & alios penes ipsum, quia præceptum non obligat ad recitandum per librum, neque requirit vt conditionem necessariam dicendi potestatem per librum; ergo dum cecus possunt recitare memoriter maiorem partem Officij, ad illam teneri vtique dicendum erit.

Sup. hoc in Ref. præterita, & in Ref. 1. post præteritam, §. An verò, & in tom. 7. tr. 1. Ref. 7. §. Quoad secundum & sequ. & significanter in §. Puto igitur, & hic supra in Resol. 32. in fine.

2. Non desinam tamen hic adnotare cum Sanchez in opusculo tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 46. n. 5. dixisse Sotum de inst. lib. 10. quæst. 5. art. 3. se non esse certum, O o 4 211